



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. XV. Vtrùm benigna sententia verè sit & meritò dicatur  
inimpugnabilis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

lum enim dicimus, licitum cuique esse sectari quamcumque opinionem certò practicè probabilem. Ergo nullam opinionem damnavit, quam ex benigna sententiæ præscripto sequi poteramus; nullam enim prohibuit, quæ ad certam probabilitatem pertingebat. Quòd si usum alicujus opinionis certò probabilis prohiberet, eo ipso certò constaret, usum opinionis, priùs licitum, nunc fieri illicitum; nec hoc quidquam obstaret veritati benignæ sententiæ. Itaque certum est, decretum illud Alexandri VII. in nullo nostræ sententiæ officere, quiddid Celladeus in contrarium insinuet, ut supra *quæst. 8.* fusiùs explicatum est.

Epiphonema gloriosum & præterita Celladei demonstratio falsitatis arguitur.

64. Ex his falsitatis arguitur illud Celladei Epiphonema, quo quæstionem hanc sic concludit. *Ergo cura Pastoralis in doctrina morum, & omnes ac singule propositionum condemnationes demonstrant, probabilitatibus & Auctoribus gravibus id privilegii non competere, quòd ex illorum assertione elici mox possit dictamen infallibile non peccati.* Arguitur, inquam, falsitatis, quia certum est, curam Pastoralem, utpote non contentam si subditi non peccent; nil ejusmodi inferre, cum sæ-

pe ad alia teneatur, ut ostensum est; ita pariter certum est, damnationes opinionum illud non inferre; illæ enim aut supponunt opiniones illas non fuisse certò probabiles, ac propterea fideles in illis debitæ morum regulæ caruisse, aut certè reddunt eorundem usum certò illicitum, quamvis antea esset certò probabilis, ac invincibiliter haberetur licitus, & consequenter sine peccato poni potuisset. Itaque istiusmodi damnationes vel supponunt benignam sententiæ non habuisse locum, vel auferunt ejus materiam, & sic indirectè tantum efficiunt, ne locum habeat. At neutrum repugnat nostræ sententiæ, nec ex ullo illorum sequitur, infallibile dictamen non peccati non posse formari ex assertione Auctoris gravis, aut ex opinione probabili, modò constet, opinionem illam esse certò probabilem, & gravem illum Auctorem istam sententiæ certò probabilem reddidisse. Immo oppositum efficacitè probatum est tum in hac quæstione, tum *quæst. 2.* ac ex toto tract. de *Consc. prob.* sed ex dicendis id ipsum ulterius constabit. Inanis ergo est præterita Celladei demonstratio.

## QUÆSTIO DECIMA QUINTA.

*Virum benigna sententia verè sit & meritò dicatur  
inimpugnabilis.*

Quæstio hæc cur in-  
Acta sit?



**C**ARAMUEL in suo Apologemate hanc protulit propositionem. *Ignorat dialecticam, qui medio probabili putat probabilitatem impugnari (melius dixisset expugnari seu everti) posse.* Wendrockius in *appendice ad librum Fagnani art. II.* hoc Caramuëlis dictum vehementius carpsit, sed immeritò, ut ostendi *quæst. 28. de Consc. prob. num. 155.* Wendrockium imitatus est Celladeus *lib. 1. quæst. 8.* ubi assertam hanc inimpugnabilitatem opinionis probabilis se non impugnasse solùm, sed duplici demonstratione logica expugnasse gloriatur. Quæstio hæc parum refert ad intentum principale, ideoque omitti potuit. Sed quia non expedit intactum relinqui, quod Celladeus sibi multum favere, nobis autem plurimum obesse putat; ideo breviter quid in hac re dicendum sit exponam. Nec tamen tangam, quæ ad Caramuëlem spectant; ille enim mea defensione non indiget, sed, ni fallor, suo tempore ostendet, Celladeum, aut mentem ipsius non esse ritè assequutum, aut invalidam expugnationem attulisse. Ego ergo ea solùm tangam, quæ ad quæstionem principalem pertinent. Sit ergo.

### ASSERTIO PRIMA.

*Opiniones probabiles non solùm impugnari,  
sed etiam expugnari possunt.*

2. **A**SERTIO est certissima; multæ enim Opiniones, tam in Physicis quàm in Ethicis, olim probabiles, & communiter pro veris admittæ, jam evaserunt improbables. Hoc adeo certum est, ut Celladeus de hoc non dubitet: & Caramuël in Apologemate à *num. 265. usque ad 282.* totas est in acervandis laxis antiquorum opinionibus, quæ olim communes erant, nunc autem, aut universim, aut certè maxima ex parte sunt certò improbables, & ut tales ab omnibus rejiciuntur. Plures hujusmodi opiniones attuli *quæst. 22. de Consc. prob.* antiquorum verbis citatis, aliasque plures in unum coacervavi *quæst. 28. num. 42.* ubi videri poterunt, quia in re comperitæ veritatis non est frustra laborandum. Itaque certum est, opiniones probabiles & impugnari & expugnari posse. Hæc expugnatio dupliciter fieri potest, primò, per demonstrationem evidenter convincentem contrarium, ut sæpe factum est in rebus physicis, eò quòd novis instrumentis & experimentis detexerimus principia certissima, quæ antiquos omnes latuerunt. Secundò, sine demonstratione rigorosa: idque dupliciter, primò accumulando nova argumenta à prioribus non perpena, quæ adeo superant motiva alterius partis, ut hæc in comparatione illorum robur suum perdant,

pe rdant, nec amplius impetrare valeant assensum ab homine perito & probato, qui non ex passione, sed ut decet hominem peritum, suam fert sententiam. Secundò evidentè solvendo argumenta, quibus prior probabilitas nitebatur; per talem enim solutionem apertè constat, argumenta illa nullius esse roboris. Cessat ergo probabilitas, quæ solis argumentis illis nitebatur.

ASSERTIO II.

*Opinio probabilis, manens probabilis, merito impugnatur mediis probabilibus, quamvis illis non expugnetur.*

Opinio probabilis re-  
ctè impug-  
natur quæ  
vis non expug-  
netur.

3. **PROBATUR** assertio. Theologorum munus postulat, ut veritatem ipsam, quantum eis datum est, diligentè quærant. Unde unusquisque meritò ea profert, quæ post debitam diligentiam vera existimat. At hoc facere non potest nisi contrariam sententiam impugnet, ejusque fundamenta excutiat, ac rationes illi faventes saltem probabiliter solvat. Porro certum est, hujusmodi impugnationes rarò tollere probabilitatem partis adversæ, ut videre est in opinionibus communibus, quarum utraque pars est & manet probabilis, non obstantibus mutuis earum oppugnationibus. Ecce Theologorum munus expressè postulat, ut opinio probabilis jure meritò impugnetur, licet non semper expugnetur; in quo casu certum est, quòd solùm mediis probabilibus impugnarì possit.

Munus  
Theologi  
postulat ut  
veritas dili-  
genter excu-  
tatur.

4. Dices: Ad quid juvat illa impugnatio, si contrariam opinionem non expugnet, sed probabilem relinquat? Respondeo, servire ad hoc, ut nostram obligationem impleamus, & veritatem juxta Dei placitum strenuè quæramus; quòd si illam evincere non possumus, haud dubiè excusabiles erimus, quia invincibili veritatis ignorantia laborabimus. Præterea hæc constans industria sæpe veritatem detegit sufficienter, ut ex assert. 1. constat; quia quæ olim fuerunt probabilia, posteriorum sedulitate fieri possunt improbabilia; ad hoc autem enitendum est, quantum possumus, ut veritas aut certò innotescat, aut certè ut quod veritati opponitur improbabile evadat.

Præter  
Theologi-  
um hoc in-  
sum confir-  
mat.

5. Probatur secundò ex communi omnium Theologorum praxi, qui tam in speculativis, quam in moralibus sedulè se impugnant, quamvis post omnem diligentiam adhibitam fateantur oppositam opinionem manere probabilem; hoc autem non facerent, si laborem suum inutilem existimarent. Ergo mens & facta omnium sapientum apertè ostendunt, opinionem probabilem, suâ probabilitate non amisâ, mediis probabilibus meritò impugnarì, quamvis non expugnetur. Et sanè credere non possum, Caramelem unquam existimasse hæc duas assertiones non esse veras, seu quod idem est, assertivisse inimpuenabilitatem, istis assertionibus evidentè rejectam, universaliter cuius opinionem probabiliter convenire; vir enim sagacissimus & ingeniosissimus non adeo cæcavit in luce meridiana. Celladeus tamen ita hæc contra illum exaggerat, ac si docuisset, dictam inimpuenabilitatem esse proprietatem ab omni opinione probabiliter essentialiter inseparabilem. Sed ipsi, quid quis hac in re dixerit aut tenuerit, litem instituunt, meâ enim hoc non interest.

ASSERTIO III.

*Dantur aliquæ opinionès, quæs nemo nisi imprudenter sperare potest se everfurum, quarumcumque laboraverit. Talis est sententia benigna reflexa, quæ docet, ulum cuiusvis opinionis directæ, certò practicè probabilis, esse licitum.*

6. **PROBATUR.** Quæ spectant ad universale jus naturæ, talia sunt, ut vix quemque peritum ac probum latere possint. Certè talia sunt; ut omnes omnino peritos & probos veritatem diligentissimè investigantes latere non possint. At benigna sententia, de qua loquitur assertio, est objectum spectans ad universale jus naturæ, quia tractat de modo debite formandi conscientiam in rebus incertis, quando veritas post debitam diligentiam inveniri non potest, quod haud dubiè ad jus naturæ pertinet. Ergo veritas hujus objecti non potest latere omnes, qui diu multumque illam investigarunt. Sed latuisset omnes illa veritas, nisi benigna sententia esset vera; est ergo verissima. Probatur minor, quia omnes omnino Catholici Doctores, qui hac de re in expressis terminis egerunt, per plus quàm centum annos unanimiter docuerunt, talem opinionem esse veram, & cuique licitum esse sequi quamvis opinionem certò practicè probabilem, etiam minus tutam, minusque probabilem. Nec de hac re quisquam, præter unum Comitolum dubitavit. Quod autem ad majorem probabilitatem directam pertinet, nemo Catholicorum, præter unum Celladeum, universaliter negavit usum illius esse licitum. Qui autem non ita pridem negarunt, licitum esse sequi opinionem directam minus tutam æquè aut minus probabilem, manifestam passi sunt æquivocationem, cum nec ego, nec multi alii mecum, id doceamus in sensu, in quo illi id negant, nec ipsi id negent in sensu, in quo id à nobis asseritur. Affirmamus enim solam majorem probabilitatem, si omnia inspiciantur, esse regulam formalem conscientiæ, ut tunc in hoc tractatu, tum quest. 23. de Consc. prob. fusè demonstravi. Itaque sententia benigna, in sensu legitimo sumpta, semper ab omnibus pro vera agnita est. Ergo si esset falsa, veritas illius omnes latuisset. At hoc est moraliter impossibile. Ergo est verissima. Porro ex eodem capite sequitur, neminem posse prudenter sperare, se illam falsitatis apertæ posse convincere, quia alioquin deberet credere, universalia principia juris naturalis ita latere posse, ut aut nemo, aut vix quispiam post omnem diligentiam adhibitam illa videat. At absurdum est hoc cogitare, & consequenter imprudentis est ad illud ipsum probandum, seridè enjui.

Dantur ali-  
quæ opi-  
niones  
inexpugnabi-  
les.

7. Probatur secundò. Quoties aliquis particularis homo non habet, nec habere potest ulla experimenta, instrumenta, aut principia, quæ omnibus communia non sunt, quæque ab omnibus summâ industriâ ac multorum sæculorum decursu adhibita non fuerunt ad veritatem indagandam, toties ille imprudenter faceret, si eadem tantum adhibendo conaretur apertæ falsitatis arguere omnes priores, qui per plura sæcula diligentissimè versarunt illa principia, atque in illis de quæ versatis unanimi consensu eandem veritatem detexerunt, eamque pro indubitata habuerunt, & amplexi sunt. In quo enim, quæso,

Opinio be-  
nigna est  
inexpugnabi-  
lis.

fundari potest audacissima illa spes, omnes omnino in tali materia talique casu confundendi? nonne qui sic prætenderet, ab omnibus ut præsumptuosus contemneretur? at hic est casus noster, quia versamur in materia, in qua nulla experimenta excogitari possunt, quæ omnibus non fuerint communia; omnes autem unanimiter per plura sæcula quæstionem hanc sedulo considerarunt, atque unanimi consensu docuerunt, benignam sententiam esse veram, nec de ea prudenter dubitari posse. Ergo nemo absque nota temerariæ præsumptionis prætendere potest, eam ita falsitatis arguere, ut illa amplius rationabilis ac probabilis haberi nequeat. Hanc inimpugnabilitatem sententiæ benignæ audacter tribuo, & hanc, aut aliam huic non dissimilem, illi tribuisse Caramelem existimo. At in aliis rebus peculiaribus, in quibus Auctores dissentiant, vel nova experimenta & principia adhiberi possunt, non adeo desperandum est negotium, si quis in aliquibus aspiret, ut quæ nunc sunt probabilia, eadem per suam industriam improbabilia evadant.

8. Neque hanc inimpugnabilitatem soli benignæ sententiæ tribuo, sed aliis multis; maximè illis, quæ ad jus naturæ pertinent, & unanimiter ab omnibus admittuntur ut vera: Quale est, ignorantiam invincibilem excusare ab omni prorsus malitia per se imputabili. Cujus veritas, licet probabilissima sit, non tamen est adeo evidens, quin nuperimè experta sit strenuus impugnatores, qui eam apertè falsitatis arguere non sunt veriti. Horum antesignanus fuit Jansenius Iprensis, quem hac in re fusè impugnavi in tract. de Conf. prob. quasi. 16.

9. Atque hic peto à Celladeo, utrum propositio dicens, errorem & ignorantiam invincibilem à toto excusare, nunc saltem non habeat inimpugnabilitatem hic assertam? si neget, omnes Catholicos ritè sentientes sibi contrarios habebit, & ipse sibi non constabit; ita nempe de hac re loquitur, ac si res esset indubitata, nec rationabiliter in dubium revocari posset. Si concedat, peto unde id probabit? non aliundè quàm argumentis hic allatis, vel aliis prorsus similibus, quæ haud dubiè sufficienter, & morali ut minimùm certitudine evincunt intentum. Atqui omnia ista argumenta æquè valent pro confirmatione benignæ sententiæ. Ergo æquè convincunt, illam habere præsentam inimpugnabilitatem.

10. Quod si dicat, rationes directè probantes, ignorantiam invincibilem à toto excusare, esse evidentes, aut adeo moraliter certas, ut evidenter ostendant, nullam esse posse spem prudentem convincendi oppositum; verum quidem dicet, quia intellectus bene dispositi hoc vident; sed adversarios id ore aperto negantes audiet, unde aliis viis reflexis, quantum fieri poterit, eos redarguere oportebit, sumendo principia ab illis concessa, quale est illud à me usurpatum, & à Jansenio ultrò concessum, scilicet nullam dari ignorantiam invincibilem juris naturæ; quod quamvis nec certum sit, nec verum, si sermo sit de peculiaribus quibusdam conclusionibus, quæ non nisi magno labore ex primis principiis deducuntur: illud tamen de universalibus juris naturæ principiis & conclusionibus certum est, saltem in sensu, in quo ego illud proposui, & in quo haud dubiè ab ipso Jansenio pro vero admitteretur. Præterea id ipsum potiori jure dici potest & debet de rationibus benignæ sententiæ, quæ certè tales sunt, ut veritatem illius morali qua-

dam certitudine demonstrent, & apertè concludant, rem aliter se habere non posse. Præterea quidquid afferri potest ad probandum, *invincibilem ignorantiam à toto excusare*, id ipsum probat veritatem benignæ sententiæ, quæ ex vi suæ expressionis apertè supponit, ignorantiam invincibilem veritatis latere in opinione, cujus usum affirmat esse licitum, casu quo contingat illam esse falsam, ut fusè ostendi tum hic quasi. 1. & 2. tum quasi. 23. de Conscientia prob. num. 109. & seq. Ergo quidquid probat ignorantiam invincibilem excusare, id ipsum eodem modo probat veritatem nostræ benignæ sententiæ, quæ aliis etiam validissimis argumentis stabilitur, ut constat ex dictis quasi. 19. & quatuor sequentibus de Conf. prob. atque ex toto hoc opere magis magisque constabit.

## ASSERTIO IV.

*Nulla opinio directa, certò practicè probabilis, absolue confutari potest tanquam illicita ut in praxim reducatur, modo certam suam probabilitatem non amittat.*

II. **P**ROBATUR, & quidem imprimis nulla opinio probabilis, manens probabilis, in medio evidenti refelli potest, quia eo ipso perdet suam probabilitatem, & sic suppositio, in qua loquimur, destrueretur. Idem valet de argumentis quibusvis, quæ probabilitatem ejus destruerent. Rursus, non potest sufficienter refelli ullo medio probabilis, non destruyente illius intrinsecam probabilitatem; quia tali impugnatione non obstante manebit probabilis, ideoque directè & per se, ex vi proprii motivi sufficere, ut intellectus illi assensum prudenter præbeat; eo ipso autem quòd assensum ei præbeatur ex motivo certò probabilis ac prudenti, intellectus statim ex evidenti principio synderesis reflexo surgit ad formandum judicium certum de honestate talis actionis, ut fusè ostensum est multis in locis utriusque Tractatus. Ergo impossibile est, ut stante certà cujusvis sententiæ probabilitate, illa absolue convincatur non posse sufficienter praxim dirigere. Hæc ratio evidenter evincit intentum respectu illius, cui illa probabilitas est major probabilitate sententiæ contrariæ, quia evidens est, quod prudenter assentiri possit tali opinioni, atque ita progredi ad formandum certum & infallibile conscientiæ dictamen. Quòd si opinio illa directè supponatur apparere alicui tanquam æquè aut minus probabilis, quàm alia, fautor non esse certum, quod intellectus in sensu composito talis comparationis admittat ac approbatæ illi assensum præbere possit, ideoque in illo casu rationes directæ non sufficient ad præsens intentum eo modo convincendum, quo illud ex vi majoris probabilitatis demonstratum est. Nichilominus probabilitas illa minor, in ratione objecti considerata, fundat tot argumenta reflexa, tam validè prævalentia omnibus, quæ in contrarium afferri possunt, ut perspicuum sit, illius honestatem; si argumenta omnia etiam reflexa inspiciantur, esse probabiliorem ejusdem inhonestate. Semper enim erit verum, legem vetantem non esse sufficienter promulgatam; semper verum erit, in dubio meliorem esse conditionem possidentis; aliæque hujusmodi argumenta necessariò locum habebunt, ex quibus honestas talis actionis tanta veritatis similitudine probatur,

Quæ alie opinionis sint in expugnabiles.

Celladeo immeritò concedit alteri opinioni, quod negat benignæ.

Quod probat ignorantiam invincibilem excusare probat benignam sententiam.

Usus opinionis certò practicè probabilis non potest convinci esse illicitus.

ut certum sit, nil adhuc simile allatum fuisse, & moraliter certum est limitatam hominis industriam in hac materia (quæ est quæstio spectans ad jus naturæ circa modum debite formandi conscientiam in incertis) nil simile afferre posse in contrarium, quia si aliquid potuisset, illud utique post tot secula tantumque tot ingeniorum laborem fuisset inventum. At stante hæc reflexâ prævalentiâ probabilitatis, evidens est, honestatem ipsam prudentissimè affirmari posse, atque ita conscientiam per infallibile dictamen certificari de honestate suæ operationis. Ergo impossibile est humano intellectui absolute convincere, usum talis opinionis esse illicitum.

Probatur ex prioræ assertione.

12. Probatur secundò. Hæc assertio est ita connexa cum prioræ, ut, stante illius veritate, hæc falsificari non possit; illa autem assertio, benignam sententiam, quæ docet licitum esse sequi quaecumque opinionem certè practicè probabilem, non esse expugnabilem. At si convincere possemus, aliquam opinionem certè probabilem non posse licitè in praxim reduci, eo ipso benigna sententia falsitatis convinceretur & expugnaretur. Verùm illa expugnari non potest, nec falsitatis convinci, ut ostensum est. Ergo nulla opinio certè practicè probabilis confutari potest tanquam illicita pro praxi, modò certam suam probabilitatem non amittat. Cæterum hæc inimpugnabilitas non fundatur in solo titulo probabilitatis, ut patet, quia multa probabilia revinci possunt; sed vel in probabilitate in tali materia, cujus veritas tamdiu à tot investigata fuit, & unanimi consensu inventa & agnita, vel certè in probabilitate quamdiu illa manet, eò quòd existentia certæ probabilitatis sufficiat ad inducendum iudicium prudens de honestate rei, quo iudicio intellectus manuducitur ad formandum iudicium certum & infallibile de honestate suæ operationis.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Disputatio & defensio, quæ procedit in infinitum, est vana.

13. **O**BJECIT primò. Omnis disputatio & defensio, quæ in infinitum procedit, est vana & fatua, quia non resolvitur in principium ullum immediatum, in quo sistatur. Sed probatio & defensio duarum ultimarum assertionum est talis. Ergo est vana & fatua. Probatur minor. Benigna sententia est assertio reflexa, quæ dicit, licitum esse sequi quamlibet opinionem certè practicè probabilem. Hæc autem propositio non affirmat opiniones illas esse veras aut probabiles, sed solum dicit, eas esse tutas, si sint probabiles. Similiter eadem propositio de se ipsa non enunciat, se esse probabilem, sed solum in universali se fore tutam, si sit probabilis. Ergo ad licitum ejus usum, opus est alia cognitione reflexa, quæ enunciet illam esse probabilem ac tutam. At difficultas redit de hac secunda cognitione reflexa, quam adversarii negant, nec nos debemus contendere eam esse veram, quia tunc directè respondendum est ad argumenta, & reflexa inimpugnabilitas, quam nunc prætedimus, describitur. Ergo debemus contendere, secundam illam propositionem manere probabilem, quidquid in contrarium assertur. At illa non affirmat se esse probabilem, ut antea dictum est de prima. Ergo opus erit tertia cognitione reflexa, & sic in infinitum. Ergo hæc inimpugnabilitas præensa nullo nititur principio immediato, sed in infinitum procedit. Ergo est stulta & fatua. Ita Cellæus, lib. 1. quæst. 8. §. 3. Ubi dicit, argumentum hoc

esse demonstrationem Logicam, licet eam omnes non capiant.

Respondeo primò, argumentum solvendum esse ab omnibus in propositione reflexa, quæ assertit, errorem invincibilem excusare à toto, & multò clariùs in propositione reflexa, quæ assertit veritatem dictæ propositionis esse inexpugnabilem, seu neminem posse prudenter conari ad eam expugnandam; siquidem argumentum æquè procedit contra utramque hanc propositionem reflexam, ac contra benignam sententiam; ut patet. Et tamen omnes, etiam adversarii, admittunt, similes propositiones reflexæ loquentes de ignorantia invincibili, esse veras. Quidni ergo similes propositiones de licito probabilium usu possint esse veræ, non obstante hoc argumento?

14. Respondeo secundò directè, & dico, nos loqui tam de veritate, quam inexpugnabilitate benignæ sententiæ; & quamvis principale intentum respiciat veritatem ipsius, in præsentia tamen quæstione potissimè respicimus ad ejus inexpugnabilitatem. Hoc posito, dico, propositionem illam reflexæ dicentem, usum opinionum certè practicè probabilium esse licitum, affirmare se esse veram signatè vel exercitè, formaliter vel virtualiter, & essentialiter excludere omne dubium de sui improbabilitate. Nec mirum, quia plus est esse veram, quam esse verisimile aut probabile. Ergo cum omnis propositio dicto modo affirmet se esse veram, utique à fortiori exercitè affirmat se esse probabilem. Ratio autem à priori est, quia quod creditur absolute commensurari vero, quod est credi verum, non potest non credi ad verum accedere, quod est credi probabile. At omnis propositio, virtualiter saltem & exercitè, affirmat se commensurari vero, seu se esse veram. Ergo virtualiter saltem & exercitè, affirmat se ad verum accedere, seu esse probabilem. Verùm parùm sollicitus sum, quid de se ipsa hoc modo affirmet, vel non affirmet illa propositio; quia nulla est propositio exercitè sumpta, in qua aliud respicimus quam veritatem, cum sola veritas sit

Omnis propositio, exercitè saltem, dicit se esse veram & probabilem.

motivum omnis propositionis. Jam assertio reflexa de usu licito probabilium non est evidenter, & fortasse neque probabiliter vera ex terminis; itaque veritas hujus propositionis quærenda est. Ea autem quæritur & investigatur per argumenta, quibus ad eam astruendam inducimur. Illa autem fundantur in principiis immediatis, & talia sunt ut non solum probent veritatem ipsam, sed si jungantur probationibus assertionis 3. (quæ etiam sunt argumenta probantia veritatem ipsius) id est, si omnia simul considerentur, tanta claritate evincunt veritatem assertam, ut simul & semel ostendant, eam esse ita probatam, ut nulla humana industria everti possit, aut rationabiliter existimari improbabilis. Nec mirum, quia argumenta, quæ necessariam & indefectibilem hujus propositionis veritatem evincunt, eadem spectatâ qualitate materiæ & conatûs ab omnibus adhibiti, pari efficacia evincunt, talem doctrinam esse prorsus inexpugnabilem; Certè argumenta, quæ evidenter probant aliquid esse verum, semper simul probant oppositum demonstrari non posse. Similiter argumenta, solum obscure probantia veritatem aliquam, simul probare possunt, nil ab hominibus afferri posse in contrarium, quo falsitatis convincatur. Hoc videre est in mysteriis fidei, quæ, etsi obscura, adeo credibilia sunt, ut certum sit, nil afferri posse, quòd ea improbabilitatis convincat. Idem valet in aliquibus rebus probabilibus, illis saltem quæ ratione

Sola argumenta probant veritatem & probabilitatem alicujus propositio- nis.

materiae facile patent, & diu ac diligenter quaesita fuerunt ab omnibus, atque semper ab omnibus eadem invariabiliter inventa sunt. Jam repraesentatio, de hisce mentem certificans, non distinguitur ab actu, quo affirmantur, licet opus sit conjicere oculos in argumenta seu praemissas, ex quibus actus ille deducitur, ut sciamus, unde claritas illa deducatur, & ut de claritatis illius magnitudine reflexe certificemur.

In proba-  
tione nostra  
sistimus in  
veritate  
primae pro-  
positionis  
reflexae.

15. Itaque non est opus recurrere ad secundam cognitionem reflexam, quia veritas primae cognitionis reflexae sufficienter evincitur absque tali recurso, & ex ejus veritate, etsi solum probabiliter & obscure inventa, una cum argumentis a qualitate materiae, diuturna inquisitione, & unanimi omnium consensu desumptis, veritas inimpugnabilitatis praetensa stabilitur. Errat porro Celladeus, dum dicit, nos non debere recurrere ad veritatem primae aut secundae propositionis reflexae, nam nos non progredimur, ut ille arbitratur, ad secundam propositionem reflexam, sed in veritate primae sistimus, & si ad secundam progredieremur, in ejus veritate quaerenda sistendum esset. Hoc autem non est deserere, sed stabilire inimpugnabilitatem praetensam, quia illa fundatur in veritate hujus propositionis, prout est propositio in peculiari materia omnibus obvia, cujus veritas ab omnibus per plura saecula investigata fuit, & ab omnibus rationabiliter sentientibus agnita, absque eo quod unquam inveniri potuerit argumentum, quo vel unus allectus fuerit, ad subscribendum contrariae sententiae, &c.

Quamvis a-  
geremus so-  
lum de pro-  
babilitate  
propositio-  
nis reflexae  
non daretur  
processus in  
infinitum.

16. Hoc responsum valeret, quamvis admitteremus, veritatem benignae sententiae, ejusque inimpugnabilitatem assertam esse solum probabilem. Verum aliter de utraque sentiendum est; veritas enim benignae sententiae est moraliter certa, nec erraret, qui diceret eam esse absolute demonstratam, sicut in moralibus res demonstrari solent. Non libenter magnifico res ultra eorum meritum, sed argumenta, tum in *tract. de Conse. prob.* tum in hoc opere allata, veritatem ipsam adeo evincunt, ut de ea aliter loquendum non sit. Quod vero spectat ad praetensam inimpugnabilitatem, illa adhuc clarior est, quia fundatur in peculiaribus praesumptionibus, contra quas constat nullam esse, aut esse posse rationabilem exceptionem. Corrodit ergo praetensa Celladei demonstratio Logica, in qua certe nil energiae reperitur, quia procedit de subiecto non supponente, quasi verum non esset agendum de veritate propositionis reflexae, cum de illa potissime agendum sit, ut sic ex argumentis veritatem illius probantibus, una cum qualitate materiae, communi que omnium conatu & consensu, ejusdem inimpugnabilitas statuatur. Praeterea, etsi non ageremus de ejus veritate, sed probabilitate, non sequeretur processus in infinitum, quia ipsa exercitè & aequivalenter affirmat se esse probabilem. Et quidem id affirmat, non dubie, sed certè & evidenter, quia probabilitas consistit in motu quodam seu impetu, quo intellectus impellitur ad assensum, aut in peculiari gradu claritatis, quam impetus praecedens refundit in assensum, ut fuse ostensum est *quast. 3. de Conse. prob.* ille autem gradus claritatis non distinguitur ab ipso iudicio probabili. Claritas ergo illa est actui essentialis, adeoque non potest non esse exercitè nota & affirmata ab ipso actu: est enim actus non quomodocumque probabilis, sed signatè cognoscitur esse evidenter talis; ergo est exercitè evidenter talis. Ergo evidenter exercitè cognoscit

& affirmat suam probabilitatem. Ergo non est opus ulterius progredi ad aliam cognitionem reflexam, a qua illa probabilitas affirmetur. Eodem modo discurro de inimpugnabilitate ipsius; actus enim ipse dependet ab omnibus suis motivis, inter quae aliqua aperte ostendunt, oppositum non posse ab homine probari esse verum. Ergo ipsemet actus exercitè cognoscit & altruit suam inimpugnabilitatem, & intellectus in eo sufficienter quiescit, nec ad hoc opus est ad alias cognitiones reflexas recurrere. Ergo praetensa Celladei demonstratio undique ruit.

17. Video Celladeum ad haec fortè risurum, Omnia di-  
cta exple  
comproba-  
tur. ed quod ipse neget tam veritatem, quam praetensam sententiae benignae inimpugnabilitatem. Verum quod ille hoc neget, non probat utramque non esse veram, & legitime probatam, nos cum Celladeo similia affirmamus de ignorantia invincibili. Miratur Jansenius, & una cum suis asseclis ridet nos, ac protestatur, se utrumque negare, imo contrarium ferme instar dogmatis fidei credere. Rursus omnes similia dicimus de credibilitate & inimpugnabilitate mysteriorum fidei, interim heterodoxi rident, & clamant se utrumque negare. Annè ideo nos salum dicimus, aut assertum nostrum sufficienter non probamus? absit. Idem prosumus valet in casu nostro; nam sicut illi ideo haec non vident, quia vel argumenta nostra non ponderant, vel ex passione mentem excecant, & affectu in unam partem indebitè inclinato, dicuntur; ita pariter Celladeus non videbit veritatem hanc, si argumenta nostra debite non consideret; aut si ex passione aliqua vel affectu ad partem contrariam indebitè propenso discurrat. Consideret argumenta nostra acurate, & si affectum aut passionem indebitè alligatam habeat ad partem contrariam, illam deponat; & illico veritatem videbit, sicut ex dictis nullitate suae demonstrationis praetensae colligere poterit.

18. Objicit secundò. Benigna sententia, sal- Objectio: tem virtualiter & exercitè dicit, se esse veram, hoc enim commune est omnibus enunciationibus; rideretur enim tam in scholis quam in foro, qui aliquid enuntians, nollet dictum suum tanquam verum defendere, sed appellaret ad probabile, dicendo dictum suum esse probabile; omnis enim aliquid enuntians, tenetur de vero, nec satisfacit per probabile. Ergò qui profert benignam sententiam, ejusque objectum affirmat, tenetur ad eam tanquam veram defendendam. Quod si nolit, & ad ejus solam probabilitatem appellet, saltem tenetur hoc suum secundum dictum tueri tanquam verum, nec se satis defendit per aliud probabile, sed absurdè procedit in infinitum à probabili ad probabile, nec in ullo unquam immediato principio sistit. Ergo ineptè asseritur aliqua propositio esse inimpugnabilis, quando assertio illa defenditur, praetermisâ disputatione de illius veritate, confugiendo ad probabile aliud reflexum, quod à vero & falso praescindit, quia talis assertio ad sui defensionem & constantiam indiget processu in infinitum. Atqui talis processus in motivis est impossibilis. Ergo ad sui defensionem indiget aliquo impossibili. Ergo per hoc quod se statuat hoc modo inimpugnabilem, erit impugnata & interempta, cum ad suam salutem & vitam opus habeat remedio impossibili ac interminabili. Ita Celladeus §. 4. ubi dicit hanc secundam argumentationem esse legitimam demonstrationem.

19. Respondeo Celladeum in antecedente nobiscum

Nolitas  
praeterea  
demonstra-  
tionis mul-  
tis modis o-  
stendatur.

visum convenire; hoc autem admissio, perspicuum est, nos non recurrere ad probabilitatem prout praefendit à vero & falso, ut sententiam benignam defendamus, sed eam veram defendimus, & ex argumentis veritatem illius probantibus, unà cum allatis praesumptionibus, directe st. bilimus illius inexpugnabilitatem, quam dicimus & defendimus esse veram & realem, non autem solum probabilem & apparentem. Ergo nulla est apparentia processus in infinitum. Itaque Celladeus videtur formasse sibi inexpugnabilitatem quandam à nemine asertam (Caramuel enim, quem Celladeus citat, non mihi videtur talem inexpugnabilitatem tribuere sententiae probabili, sed solum eam, aut similem ei, quam ego proposui ac probavi) atque illam rejicere argumentis, quae pro demonstrationibus venditant. Verum illa, etiam in sensu ipsius Celladei accepta, rem non evincunt, quia qui pro defensione benignae sententiae non ad ejus veritatem, sed solum ad ejus probabilitatem recurreret, dicendo illam esse certò probabilem ac rationabilem, & consequenter sufficientem regulam conscientiae, non necessariò fugit ad aliud probabile, quo se defendat, quia defendere se potest per hoc ipsum probabile jam asertum, eò quòd probabilitas illa sit evidens, sicut est evidentissima: unde probabilitas benignae sententiae non indiget novo probabili, aut novo argumento, ut se defendat, sed seipsa tuta est contra omnes impugnationes, simulque certissimè turatur suam probabilitatem. Nec solum tutatur eam, sed simul ob qualitatem materiae, de qua disputamus, ob diuturnum omnium studium ac unanimem consensum, ita illam defendit de praesenti, ut illam ostendat esse in posterum inexpugnabilem. Quod si contendas, probabilitatem benignae sententiae non esse evidentem, ideoque recurrendum esse ad aliud probabile, & sic in infinitum; in primis evidenter erras, quia benigna sententia est evidenter probabilissima, & quod plus est, moraliter certa, ut proximè dictum est.

Ruit argu-  
menti etià  
in sensu,  
quo Celladeus  
illud  
putat esse  
demonstra-  
tivum.

20. Secundò, argumentum non valet, quamvis admittamus probabilitatem benignae sententiae non esse evidentem, sed solum probabilem; quia sicut in evidentibus non datur processus in infinitum, ita nec in probabilibus; sistendum enim tandem est in aliquo probabili immediato, tantumquam in principio, immediatè quidem credibili, quamvis obscuro. Quod autem dentur ejusmodi prima principia immediatè probabilia, probatum est in tract. de Consc. prob. quaest. 4. num. 2. & sequ. itaque motiva prima & immediata, quae suadent opinionem benignam esse probabilem, vel sunt evidentià, vel sunt immediatè probabilia. Pone nunc non esse evidentià; sunt ergo, vel certè, hoc argumento non obstante, esse possunt immediatè probabilia. Quae autem talia sunt, egent aliò probabili ad suam probabilitatem nobis ostendendam aut defendendam, ut patet. Jam principia nobis immediatè probabilia, hic & nunc à nobis

falsitatis convinci non possunt, alioquin non essent amplius immediatè probabilia, ut patet. Quidam ergo talia sint, aut certè, hoc argumento non obstante, esse possunt argumenta probantia probabilitatem benignae sententiae? Ego dico, ac scio illa esse ad minimum talia: non quia puto omne primum principium probabile esse absolutè indefectibile respectu nostri; novi enim contrarium, quia apparentia etiam immediatè probabilis saepe fundatur in eo, quòd nil certi, aut momenti incomparabiliter majoris afferatur in contrarium: ut ostendi in tract. de Consc. prob. quaest. 3. Jam licet impossibile sit talem propositionem non esse immediatè probabilem ac credibilem, quamdiu totum objectum cum omnibus hisce determinatis circumstantiis repraesentatur intellectui, nihilominus hoc objectum aliquando variatur, quia postea aliquid certum afferatur in contrarium, & tunc illud quod fuerat immediatè probabile non manet amplius tale, eò quòd pars aliqua, ex qua probabilitas essentialiter componebatur, auferatur. Ceterum licet in aliquibus certi aliquid à nobis afferri possit contra aliqua immediatè probabilia, id tamen non est verum in omnibus, nominatim autem hoc non est verum in casu praesenti, quia immediata probabilitas argumentorum, probantium probabilitatem benignae sententiae, habet peculiarem relationem ad hanc materiam, quae spectat ad universale jus naturae, & conjungitur constanti ac unanimi omnium consensui de veritate propositionis asertae, etiam postquam per plura saecula veritatem illius diligentissimè investigarunt. At immediata illa probabilitas, junctà iltis considerationibus, fundat hanc veritatem, quoad nos inalterabilem, nempe, quòd contrarium ejus, quod ipsa repraesentat, ab humano ingenio evincere non possit: quòd nemo prudenter valeat eniti ad illud serio probandum. Hæc autem persuasio, seu apparentia, est primum illud, in quo intellectus fundatur, quando enuntiat, sententiam benignam esse inexpugnabilem. Ego existimo talem apparentiam, esse saltem moraliter evidentem; quòd si hoc negetur, est tamen summè probabile, & quidem probabilitate nobis inauferebili. Unde probabilitas benignae sententiae per hanc probabilitatem inalterabiliter subsistit, & inexpugnabiliter triumphat, quamvis illa apparentia concedatur non esse evidens, quod tamen falsum est. Porro nulla in hoc invenitur umbra processus in infinitum. Ecce, demonstrationes Celladei non modò re ipsa non subsistunt, sed dato, quod quaestionis explicatio ac sensus sit, qualem ipse posuit (quod tamen falsum est) adhuc in hoc ipso sensu rationes illae corruunt, & falsitatis convincuntur. Ceterum mirum etiam videtur, quòd primam praesentam demonstrationem vocarit logicam, cum nil logicum in illa appareat; maxime cum ipse fateatur se in ea proponenda omittere formam syllogisticam, quam certè omisit. Quid ergo logicum in illa reperitur, unde demonstratio logica vocari debuerit?

Non omne  
primo pro-  
babile est,  
indefectibi-  
liter tale.

QUAE.